

ta mandamus, quatinus Christi fidelibus, undecumque fuerunt, causam Dei et ipsius ecclesie per te vel per alium seu alios religiosos vel seculares, quos ad hoc idoneos esse cognoveris, prudenter exponens, ipsos, ut contra predictum Conradinum et sequaces eius ac Sarracenos Lucerie signum crucis assumant et adversus eos armis spiritualibus et temporalibus premuniti, animis promptis exurgant iuxta datam a Deo tibi prudentiam efficaciter exhorteris. Ut autem ad huiusmodi negotium assumendum eo facilius inducantur et promptius animentur, quo exinde dona sibi provenire senserint potiora, nos de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus predictis fidelibus, qui signo vivifice crucis assumpto contra predictos Conradinum, sequaces et Sarracenos personaliter accesserint, sua conamina cum Dei auxilio repressuri, illis etiam, qui eidem regi astiterint in die belli, si quod inter ipsum et adversarios suos habere contigerit. Eis autem, qui non in propriis personis illuc accesserint, set in suis dumtaxat expensis iuxta facultatem et qualitatem suam idoneos destinaverint bellatores et illis similiter, qui, licet in alienis expensis in propriis tamen personis huiusmodi curaverint subire laborem, illam suorum peccatorum, de quibus fuerint corde contriti et ore confessi, veniam indulgemus, que conceditur laborantibus in subsidium Terre Sancte.

Datum Viterbii XI Kalendas Septembris pontificatus nostri anno quarto.